…lexander

…ndreae Phoebus post nubila

PHOEBVS POST NVBILA,

Auſpicatiſſimo Hymenæo

Illuſtriſsimi Domini

ALEXANDRI à KONIECPOLE KONIECPOLSKI;

Regni Poloniæ Vexilliferi, Pereaſlauien: Korſzun: &c. CAPITANEI.

Et Lectiſsimæ Sponſæ

IOANNÆ BARBARÆ ZAMOSCIÆ,

Illuſtriſsimorum olim Parentum

THOMÆ ZAMOYSKI, & CATHARINÆ DVCISSÆ ab OSTROG FILIÆ,

Excitatus in Repotijs

A M. ANDREA ABREK, Leopol: Ordin: Eloqu: in Academiâ Zamoſc: Profeſſore.

Anno à partu Virginis 1642. Decemb: 7.

CRACOVIÆ,

In Officina Andreæ Petricouij, S. R. M. Typographi.

IN ARMA
ILLVSTRISSIMÆ
KONIECPOLSCIORVM,
FAMILIÆ.



Quæ ſuper impoſita eſt Soleæ, Soterica, forti,
Relligionem Crux, ſanctaq; facta notat.
Quàm benè conueniunt duo Symbola fædere in vno;
Tàm benè confirmant poſteritatis opes.
At poſtquàm Sponſæ, triplex Haſtile, potentis,
Iunctum eſt; nonne recens vndiq; præſidium eſt?

Illustrißimo Domino

D. STANISLAO à KONIECPOLE KONIECPOLSKI, CASTELLANO CRACOVIENSI,

Supremo Exercituum Regni Poloniæ Duci, Buſcen: Baren: Kouellen: &c.

CAPITANEO,

Domino & Patrono obſeruandiſſimo.

INter tot gratulantium, & fauſtiſsimis Hymenæis Illuſtrißimæ Celſitudinis Tuæ FILII applaudentium voces, etiam Phœbus ex vmbratilibus Academiæ ſpatijs poſt nubila ſua ſerenam exporrigens frontem accurrit: dieiq́; huic, quo in vita vix lætiorem vllum vidiſti, lætitiam ſuam merito iure conſociat. Nimirùm morem priſcum retinere inſtituit; quo in conuiuijs vnuſquiſq́; ſuam cantionem canebat: lyraq́; eam ad rem circumferebatur, quam qui accipere detrectâſſet, per iocum, canere ad myrthum cogebatur. Huius imperitum ſe olim confeſſus Themiſtocles, habitus eſt indoctior. Ergò verebatur; nè Conuiuæ Tui, ſolis ſermonibus inter luctus tempora diem Nuptialem terentes, Sympoſiacum illum morem exſuſcitarent, ſeq́; ad myrthum relegarent. Vidit, naturæ curſum eſſe, vno cadente, ſurgere alterum: eaq́; res in orbe mortales viciſsitudine agitari, vt intertexta triſtibus læta, lætis triſtia, modò afficiant, modò reficiant hominem. Nihil impedire cenſuit, conceptum Lectiſsimæ Nurûs Tuæ luctum, modeſto temperare gaudio: eoq́;

dio: eoq́;

dio: eoq; ita ad tempus frui, quo nautæ solent, qui hodiè pellunt vino curas, cras ingens æquor iteraturi. Patere, ILLSTRISSIME DOMINE, vt Tua singularis humanitas est, liceat Phœbo isti in Augustâ Domo Tuâ recreari. Admitte, inconditam licet, Literarum mearum vocem in sinum Tuum, & consuetâ beneuolentiâ refice. Etenim inter omnia (*ait Eumenius*) quæ virtute Principũ ac felicitate recreantur, sint licet fortaßè alia, magnitudine atq; vtilitate potiora: nihil est tamen admirabiliùs hac liberalitate, quam fouendis honorandisq; literarum studijs impertiunt. *Meum erit, Æternum precari Numen, vt Tibi, Hectori aui nostri Sarmatico, lætus semper in omnibus & felix Phœbus rideat.*

Illustrißimæ Celsitudinis Tuæ

Cliens & Seruus

M. Andreas Abrek Leopol.

PHOEBVS
POST NVBILA.

EXiguus vitæ, immensûs gloriæ & virtutum Illustr: CATHARINAE ZAMOSCIAE cursus, asperis fati legibus à maturitate suâ impeditus, tantum bonis omnibus mærorem incussit, vt in maximò Domûs & Dulcissimæ Sobolis eius casu, aut nullam penitùs, aut certè tardissimam illam videretur admittere consolationem. Nec sanè immeritò. Quid enim effundat luminis Sol laborans? *Quo sanguine* (canit Poëta) *vena tumens roret, strato corde? Quâ riuus trepidet lymphâ, si fons adarescat?* Hinc, vt *paruæ curæ loquuntur, ingentes stupent*, ita ad Ecclypsim Gentilitiæ Ostrogiorum Ducum Lunæ, omnes hæserunt attoniti: & leuem esse dolorem rati, qui consilium capere, & flectere sese posset; in animis suis vberrima luctuum, tardissima consolationum argumenta conceperunt. Cor suum stratum Lectissimus Liberorum sanguis ingemuit. Beneficum fontem suum exaruisse riuuli tot clientum plorauerunt: & nequaquam dolori concepto silentium posse imperari censuerunt. Sed enim acerbitatem luctus quis ferat perennem? quis Caucaseam cordi Analgesiam inserat? semperq; tristis supercilij nubem in deiecto vultu gerat? *In tempestate sunt sine nube dies. Æstatem annus, hyems halcyonas fouet:* & pij Manes non æternùm se defleri volunt, quorum maiestas orbi vniuerso cognita. Non se perpetuis decorari lachrymis volebat olim Ennius. Quòd satis belle personam suam egisset Augustus, optimè valere iussit amicos. Clypeo suo saluo lætus Epaminondas mortuus. Centum tredecim exactis annis, ad Senatores Romanos sese inuisentes, hilarem se mori, Bruxillus Philosophus, ex hisce causis quatuor, dixit. *Lætus morior, primùm, quòd non succurrit mihi, quenquam à me totâ vitâ meâ fuisse in hâc ciuitate offensum. Deindè lætus morior, cùm quanto Romanis dolori sit discessus meus videam. Nihil enim infeliciùs illo, cuius ob vitam omnes plorant, & in cuius morte plurimi rident.*

 dent.

dent. Praterea latus morior, cùm recordor, sexaginta annis, quibus Roma egi, semper me dedisse operam, vt Reipub: prodessem. Didici enim, nullam esse mortem ærumnosam, nisi quam vita præcessit infructuosa. Postremò latus morior, ob cultum, quem Dÿs præstiti. Cùm enim respicimus, quàm inutilibus rebus vitam impendamus, dicere possumus, illo tantùm vixisse nos tempore, quod cultui Diuino tribuimus. Quod ego cùm recolligo, atq; hinc me ad auspicatissimos Matrimonij Vestri recens contracti dies, ILLVSTRISS: CONIVGES, refero; indè ad luctum communem ex obitu Dulcissimæ Genitricis medullitùs conceptum conuerto, anceps mente hæreo; quia eam noua doloris & gaudij lucta discerpit. Cùm illâ certè optimè actum est; quia ita laudabiliter vltimum vitæ suæ finiuit actum, vt nemo sit, qui amplissimas virtutes eius intuitus, non det plausum. Hilaris mortua: quia non ei modò soli, sed nulli vnquam succurrere potuit, totâ vitâ quenquam ab eâ offensum fuisse: omnibus discessum eius dolorem iustissimum incussisse, omnibus eam profuisse, cultum religiosissimum Deo Maximo solicitè impendisse. Læta mortua, Inclytâ Sobole suâ saluâ. Et vt Solis mos est, etiam post occasum prodesse, patiq; lumen minus de lumine suo accendi: sic illa in occasu vitæ suæ, post nubila fati, studiosè ardet, Phæbum Vobis lucere benignissimum. Patiamini itaq; etiam Vos, eo me modo, quo flumina magnum ingressa Oceanum natiuam seruant aquam, Vestro isti Phæbo, post nubila lucenti, absq; luctûs publici diuortio, applaudere.

Ac vt indè proficiscatur Oratio mea; quis prolixissimo affectu, animos Vestros, mutuâ societate copulatos, Coniugalem vitam sanctè & prudenter ineuntes, contuitus, Phæbum in Vobis benignissimũ non agnoscat? Vt enim ille non sibi soli lucet; sed in quocunq; signo Zodiaci fuerit, vniuersos terræ angulos illustrat: non parte aliquâ, sed statim totus; nec vni aut alteri, sed omnibus in commune profertur: Ita Vos maritali, contracto fœdere, non KONIECPOLIANVM modò aut ZAMOSCIANVM Clima, sed vniuersa Equitum Poloniæ Luminaria, recreâstis, illustrâstis. Nimirùm istud maximum splendorum suorum argumentum omnes benè ordinatæ Respublicæ censuerunt, si vincula Marito-

rum &

rum & Vxorum (quibus nullum vnquam fuit, aut eſt, prius & ſanctius in orbe vinculum) fœderato Nobiliſſimarum Domorum nexu colligata tenerentur. Hoc vnicum eſſe ſeminarium fortitudinis & incolumitatis publicæ, prædicârunt viri quoq; cordati: è quo ventura poſteritas copioſiſſima nominis incrementa ſumeret; & famam Gentiliũ ſuorum in recordationem poſthumarum ætatum tranſmitteret. Quid ita? Quemadmodùm enim vniuerſi huius benigniſſima mater & conſeruatrix natura, per inſcrutabilem dexteræ Excelſi Dei prouidentiſſimæ circuitum, vnum ex alio indies producendo, conſeruat & nutrit id, quod in ampliſſimâ machinâ mundi cernitur: ita *per Coniugium* (verba ſunt Senecæ) *veluti quâdam Dijs communi felicitate, perpetuâ ſtirpis ſucceſſione, genus humanum vt incrementum habeat, neue vnquam deſinat, efficit.* Dixerim ſanè ego, vitam Coniugum mortalem, in poſteris immortalem eſſe. Neq; enim aut temporis diuturnitate ſeneſcere, aut aſperitate inclementioris fortunæ obſoleſcere, aut ſæuientis Martis furore deperire, aut fatali ipſâ mortis neceſſitate occidere poteſt. Non ſe mori Pater, cùm moritur, ſed viuere, relictis ſucceſſoribus, ait. Non vitam claudere, ſed aperire narrat, cum Antonino Pio: qui (aiente Capitolino) biduò priuſquàm moreretur, grauiſſimâ morbi vehementiâ conquaſſatus, conuocatis ad ſe amicis, accepto in gremium paruulo Filiolo, eodemq; adſtantium curæ, fidei, amori commendato; non ſe mori, aut ab amicis triſtem diſcedere, ſed cum illis in perſonâ Filij ſuperſtitem ſemper commorari, & indies reuiuiſcere, dixit. Verumenimuerò ad nomen hoc in poſteris propagandum, ad honorem Patrum in Succeſſoribus continuandum, tametſi multùm valere videam fœderata æqualiumConiugum fœdera; inducere tamen in animum meum nequeo, vt concedam, ſolam duntaxat Familiarum dignitatem, ſolos Stemmatum ſplendores, quos aliàs minùs circumſpecti Equites, curioſiſſimè admirantur; non item propria merita in ijſdem attendenda eſſe. Imò verò clarâ voce denuncio. Niſi maritales contractus ab honeſtâ educatione pullulare cæperint; niſi à Sole virtutum ſplendidiſſimo lumen ſuum mutuare ſatagant; niſi ad earum poſſeſſionem & abſolutiſſimum complexum attendant; non illi ſolidos & con-

ſtantes

ſtantes in Patriam, in Ciues, in Genus ſuum, gloriæ fructus deriuabunt. Quali perſæpè agricolam, auidè meſſem in herbâ adhuc ſpe deuorantem, calamitate afficit grando vehemens: tali Familias afflictione macerat Coniugium minùs circumſpectum: in quo duntaxat non ad educationem Coniugis honeſtam, ſed ad eductionem dotis onuſtam; non ad animi dotes,ſed aut ad ſtantes in curribus Æmilianos, aut ad formam, aut ad reliqua fortunæ & corporis vitrea dona reſpicitur. Marceſcet, (mihi credite, Coniuges imprudentes)marceſcet,in ipſo Coniugij veſtri exordio,ſperata amplitudo: & vmbratili colorata fuco, ſucco honeſtatis orbata, conceptam in animo ſolatij felicitatiſq; expectationem eludet. Gradus primus & ſummus Maritalis honoris eſt, mutua Coniugum animi integritas, præſidio innocentis vitæ roborata: quæ beatæ fortunæ ſubſtructiones tantò firmiùs & diutiùs ſuſtinet, quantò copioſiore amplexu virtutibus imbuta fuerit; eandēq, in poſteros felicibus alueis transfuderit. Hoc olim fuit, quòd Romana gloriaretur Reſpublica, fortiſſimum Scipionū ſanguinem, fatali quâdam lege,ad debellandam ſubiugandamq; Aſiam, apud ſe natum fuiſſe. Hoc fuit, quòd Fabiorum Genus, laudi & honori bellico procreatum, cum ſummâ gratitudinis domeſticæ, & exterarum, etiam inimicarum gentium,approbatione, ac miraculo, in complexu & amore intimo tenuit. Continuatas enim virtutum ſeries, de manu (vt aiunt) in manū acceptas, Patres in Filijs, Filij in Nepotibus honeſtiſſimè educatis ſolicitè inſtillabant. Felicem ædepol tali coniunctā fœdere neceſſitatem Coniugum! Beatam Rempublicam! in quâ ex bonis viris,boni ſuſceptiLiberi, bonas thoris ſuis conſociant Sponſas. Cur non ibi Phœbum lucere dicam benignum? Cur non dicam, radijs eius lucidiſſimis, non Gentilitias modò in quibus naſcuntur Domos, ſed vniuerſam Patriam, illuſtrari, recreari? Leonoræ Auſtriæ,Henrici Franciæ Regis Vxori, in publico Epithalamicorum feſtorum applauſu, Hieroglyptes quiſpiam, Lunam pleno ore radiantem, Soli lucidiſſimo aſſociatam, ſculpi iuſſit, cum Lemmate hoc; *Æmula Solis.* Quo inuento innuit Vir cordatus,concathenatam animorum Viri & Vxoris ſtationem, mutuos Familijs ſuis, parare ſplendores: & æquè illum ſocietati Politicæ prodeſſe, æquè par Ciuibus præſtare

lumen

lumen; ac bini illi cæleſtes ocelli noctu & interdiu vſui humano ancillantes præſtant, proſunt. Sed ego quid hæc Exotica admiror? Quid Vos Illuſtr: CONIVGES mutuâ hâc animorum ſocietate contractâ, in Familiæ Veſtræ Auguſtiſſimæ, in Reipub: Polonæ gloriam, vtilitatem, nolletis transfundere? Amore honeſto ornamenta Nuptialium fæderum conquiruntur. Ineſt Vobis honeſtiſſima animorum connexio, à facilitate & candore cõmendata. Vnum ſpirâſtis amorem; imò vnam mutuæ charitatis flammam pectoribus Veſtris explicuiſtis. Elamitis olim, dotis nomine copioſę, Sponſa cedebat ingenua, è digito annulari, Sponſo deſignato cruorem, potûs vice, propinans vberrimum: cor duntaxat ſuum, ſanguinis arrhâ & teſte, confirmatum, amiciſſimo vitæ ſocio proponens. Sileat hîc ſuperſtitio barbara. Teſtatur liquidò Suauiſſima Conſors Tua, SPONSE ILLVSTRISSIME, animi ſui indiuulſi, fidei integerrimæ erga Te conceptæ argumentum. Non iam cordialem (vt dicitur) Annulum, ſed cor ipſum, & ſe totam, ad Aras Dei Maximi deuouet. A Virtute & Genere ſplendidam in votis habebas dari Tibi cælitùs Coniugem? Hæc illa eſt, quæ domeſticâ Illuſtr: Parentum virtute imbuta, totum quidquid in ſe erat virium, tenellis ab vnguiculis, ad cultum Diuinum, religionem, modeſtiam, verecundiam, pudicitiam, cæteraſq; animi candidi dotes adiecit. Neq; expedit verbis agere, quando res ipſa loquitur. Crates olim Thebanus, edito conſcenſo monte, ſic apud Ciues ſuos conqueſtus fuiſſe legitur: *Quò ferimini ô mortales? quid ad conquirendas facultates, ita auidè, ita ſtudioſè anhelatis? Sobolis autem veſtræ, cui eas relinquitis, exiguam, ac penè nullam habetis curam.* Puderet procul dubiò nunc illum querelæ ſuæ, ſi educationem Illuſtr: ZAMOSCIAE Sobolis cerneret, in eo vel maximè occupatam, nè de publicâ & priuatâ inſtitutione eius quiſpiam vel tantillùm conqueratur. Enimuerò etiam Tu, Lectiſſima SPONSA, re ipſâ querelam hanc refutas: quæ ætate florens, facie liberalis, vultu ingenua, formâ venuſta; præterquàm, quòd per ipſam naturæ & indolis bonitatem, ex Te tui reuerentiam, fugamq; omnium delictorum habeas; per educationis tamen ſolidæ bonum, præclariſſimas virtutum dotes es conſecuta. Ducebat Te eam ad rem Illuſtr: Genitor, & rariſ-

ſimo aliàs in alijs exemplo, in præparato excultoq; per ingenuas artes animo, ad integerrimam vitæ honeſtatem, morum grauitatem, ſilentij fidem, ſermonis verecundiam, factorum modeſtiam, & ad alia pretioſiſſima Matronatum ornamenta, author informatorq; exſtitit. Æquale huic, Dulciſſimæ Genitricis ſtudium adfuerat. Nam quod olim Blancæ, Euſtachij Comitis Bononienſis Vxori datum erat Elogium; *Homines genuit, Angelos fecit:* idem ipſum Sapientiſſimæ Mulieri CATHARINAE Duciſſæ ab Oſtrog ZAMOSCIAE, omnium ore datur. Non Te illa docuit tantùm virtutem omnem; ſed quamcunq; ipſamet ageret (agebat autem maximas, creberrimè, & ſtudioſiſſimè) comitem Te eius, conſciam, & ſociam adſciſcebat. Digna ſanè fueras, quæ illis in amorem Tui raperes Sponſum virtutis amantiſſimum. Digna fueras, quæ animo eius arrideres; KONIECPOLSCIANAE Paternæ, Maternæ LVBOMIRSCIORVM Domui, Paternos Tuos ZAMOSCIAE, Maternos OSTROGII Ducum Domûs, ſplendores ſociares. Quid enim aut in his, aut in illis, non amplum, non Diuinum reperias? Nolim longam ampliſſimorum ZAMOSCII Stemmatis Atauorum ſeriem recenſere; ne vnum idemque, quod alibi, quantùm vires ſinebant, proſecutus ſum, videar repetere. Pios IOANNIS & THOMAE Cancellariorum Regni Manes, vt debeo, religiosè veneror. Nulla fuit laus in Repub: illuſtris, nullum tam inſigne meritum, nullus rerum magnarum ſtatus, nulla dignitatū prærogatiua, in quibus Vtriuſq; indoles Heroica non inſudârit. Illius Neptem, huius Filiam, è Sanguine Ducum in OSTROG ſuſceptam, Sanguini Tuo, Illuſtriſſ: Sponſe, ſociatā, quis non gaudeat? quis non intimè gratuletur? Viuerent vtinam in diem hunc, vt æternùm viuere, ſi mortalitas ſiuiſſet, digni erant, Eliæ, Conſtantini, Ianuſſij, Alexandri, Oſtrogij DVCES, & Nuptialibus iſtis feſtis intereſſent: profectò, vt ardentiſſimo ſemper in rem & Nomen Polonum propagandum propugnandumq; æſtuabant animo, eum ipſum in gratulationem communem expedirent: & augurarentur, futurum fore, vt de Sāguine ſuo bellicoſo aſſumpta Sponſa, in Domum Mariti æquè bellicoſam, hæreditarijs Patriam illuſtret ſplendoribus. Par iſti affectui affectus Tarnouiorum, Herburtorum, Ocieſciorum, Zacłauiorū,

Odro-

Odrowaziorum, Koſtkarum : quorum ego laudes non modò exornare, ſed nè enarrare quidem valeo. Quidni verò Magnæ illæ Animæ prolixas è cœlo in auſpicatiſſimum hocCōiugium Tuum, Illuſtriſſ: SPONSE, benedictiones impluant? Cur in corde bonorum candido ſpes fortunarum publicarum ingentes non exaggerent? Seu enim Stemma Gentilitium *POBOG*, in numeroſiſſimas Familiarum radices diſtinctum, continuâ per centenos annorum recurſus ſerie, & hæreditariâ virtute, in Succeſſoribus ſemper celeberrimum, reſpexerimus; ſeu Te ipſum, id eſt, Heroicarum virtutum collegium, aſſumpſerimus: magnis ab vtrinq; animi omnium diſtinentur votis & ominibus. Pobogios certè, ſi dixero, præter rem & nomen Dei augendam, nihil vnquàm impenſiùs egiſſe; ſecundùm Deum, nullam alibi maiorem operam collocâſſe, quàm ad ornandam defendendamq; Patriam; non errabo. Dixero, illas delicatiſſimas Poloni ſoli plantulas fuiſſe, quæ quocunq; oculos in latè & longè patētibus oris & Diſtrictibus flexeris, fertiliſſimos ſemper & à radice non degeneres palmites produxerunt. Ne ſic malè dixero. Quemadmodùm enim vitis generoſa, cùm à terrâ rectiſſimè ramos in altum porrigit, quos ſibi fructus agricolæ polliceri debeant, illo ramorum foliorumq; decentiſſimo veſtitu præmonet. Haud aliter Pobogij Equites, cùm nollent ampliſſimum Genus ſuum, quaſi deſertum & incultum, horrere virgultis barbariei; vbi primùm in Sarmatiam ſunt introducti, non priùs perſtiterunt palmites ac fructus vberrimos ex ſe prodere; quàm Alma Mater Polonia gratulabunda, eorum ipſorum virtutem, & ita ardens in exaggerandâ per Nepotes libertate communi ſtudium, meritiſſimis præmijs exornâſſet. Liberant me palpandi ſuſpicione Sellæ Curules, Faſces, Trabeæ, Laticlauia, Palatinorum, Caſtellanorum, Cancellariorum, Præfectorum, Capitaneorum. Iucundam in animis omnium memoriam excitant, Predborij, Iacobi, Ioannes, Nicolai, antiquioris æui, ad Annum 1549. Heroes: quorum celeberrima in Patriam merita, honores publicos, in Siradiâ, Lenciciâ, Sandomiriâ, Præmiſliâ, Leopoli, ſummâ cum dignitate perfunctos, Annales Sarmatici pleno ore prædicant: ſacra autem cinerum buſta, alia Koniecpolianum Mauſolæum, alia in patrio & hæreditario Solo Wielkomłynenſe

per eosdem liberalissimè erectum, & collocupletatum Cœnobi-
um tegit. Prolixus sim, si stirpes horum singulas recenseam. Re-
centiorum temporũ, ab AVGVSTI & BATTHOREI Regum Sceptris,
lumina & columina, Stanislai Capit: Wielun: Filij, Viri, seu Mar-
tem, seu Artem spectes, nobilissimi, prodeat AVVS, & Illustr:
GENITOR Tuus: in quorum laudes decantandas, si possem,
vellem, etiam ipsum cum Nouensili Musarum Senatu Apollinem
è Parnasso suo euocare. Immortalem AVI Palatini Sirad: forti-
tudinis & gloriæ bellicæ testem, cùm Moschouiam, Valachiam,
Liuoniam, Scythiam; tùm potissimùm Byczynam, appello: in cu-
ius ille campis, tergiuersantibus, & iam iam instanti acriter hosti
terga vertere cogitantibus nonnullis Præfectis, rem & nomen
Martium Aquilæ Polonæ restituit: æmulum Regni, communica-
tâ cum bellicosissimis Ducibus operâ, è finibus amouit: braccatos
coruos, in volas & perniciem nostram vincula & catastas expe-
dientes, & iam (ô superbiam!) vno asse decem ingenua Polo-
norum capita ad cyathũ vini cum Baccho licitantes, vindice fer-
ro vltus, in sua lustra abegit alios, alios in infame lignum agi egit.
Tanto ex Æneâ, non poterant nasci, nisi Anchisioniadæ, id est,
POBOGII: qui Dei primùm cultum ardentissimè agerent; se-
cundùm Deum, Patriæ & Ciuium saluti seruirent. Ac REMIGIVS
quidem Episcopus Chełmensis, Abbatiæ Andreouiensis Admini-
strator, paucos ante annos fato in cælum vocatus, quantâ ergâ
Deum religione, innocentiâ vitæ, fulserit; nullius peregrinantur
aures. Mihi si linguæ centum sint, oraq; centum, nequaquàm
in laudibus eius sufficerent. Suffecerit vnicum illud, quia verissi-
mum, & illi accommodatissimum, dixisse: *Sacerdos in diebus
vitæ suæ magnus, placuit Deo.* Germanus eius præsens PALATI-
NVS Bełzensis, qui Vir sit, quis dignè edisserat? Consilium ex-
quiris? Consum habes. Prudentiam flagitas? Argus alter, & Ia-
nus est: præsentium, futurorum, præteritorumq; accuratissimus
explorator. Fortitudinem in periculis, dexteritatem in agendo,
exigis? Campos illos Martios, in quibus Supremam Regni Aqui-
lam circumferens, pro re Patriæ, contra diuersos hostes, generosi-
tas sua mascula strenuè & feliciter decertauit admirare. At enim
miserum me, Illustrissime SPONSE, qui hæc apud Te, de Magnis
Patruis

Patruis Tuis, ita steriliter ago. Age verò, vt Tua summa humanitas est, suppleat Diuina & incredibilis virtus Illustr: GENITORIS Tui. In suo olim Pompeio Tullius, quatuor hæc Imperatoria decora, Virtutem, Authoritatem, Scientiam rei militaris, Felicitatem, impensè admiratus est. Nec iniuriâ. Cùm enim ex naturâ suâ, & temeritate insinuantis sese fortunæ, in bello dubijs Mars claudicet armis: & præliorum indicendorum rationes ac initia, in nostrâ plerumq; voluntate consistant; progressiones autem, euentus, ac terminos, aut prorsùs nesciamus, aut occulto facto, aut spei ancipiti, committamus: fit, vt nisi integritas animi Imperatoribus subsit, Superos sperare secundos non iubeat: nisi virtutem ducem in re bellicâ conficiendâ sequantur; audaciam pro fortitudine, pertinaciam pro constantiâ, temeritatem pro consilio, cæteraq; eius farinæ vitia, & in se ipsos, & in exercitum suum introducant. *Imperatoria acies* (dixit quispiam) *non armorum magis genere, quàm integrâ & purâ mente, contra hostem armata stare debet.* Quia hæc vtraq;, ponè comes sequitur victoria. *Omnia subsident meliori peruia parti.* Imperator, nè sese claro titulo deformet, & tantò conspectius animi impotentis vitium obijciat, quantò in honore bellico maior est; taliter se in actionibus singulis gerat, opus habet: vt neq; quibus præest, in castris specie virtutis fumos vendat; neq;, quod vnicum est in omnibus malis bonum, in seipso extinguat peccandi licẽtiam, atq; verecundiam. Quemadmodùm enim Medici nullum morborum genus formidabilius esse censent, quàm quod ægrotis mali sensum eripit: ita qui animorum morbis conquassatus bellicum sumit regimen; & interim superbiâ, iniustitiâ plenus, grauem se esse, prouidum, seuerum, iactitat; præter hoc, quòd suâ venenatâ scabiè totum corrumpat exercitum, ad consumatam descendit amentiam: vt quæ impiè, quæ impudenter agit, excuset potiùs, quàm excutiat. Iam si idem ipse ita à Virtute relictus, imò Virtutem relinquens, rei militaris coniungat imperitiam: si nullam in castris metandis, legionibus ordinandis, locis capiendis, vallis subducendis, vrbibus ac arcibus obsidendis, expugnandis, rationem teneat: quid tandem boni illi Reipub: de tali Duce pollicendum est? vel potiùs, quid mali à tali Duce non timendum est?

 Varro-

Varronem ea in ſinu ſuo alit temerarium: illum inquam Varronẽ, qui vt erat genere lanio, & carnibus potiùs boum diſſecandis, quàm regendo exercitui aptior; ita è macellariâ tabernâ adſcitus, rei bellicæ imperitior, pertinacior, numeroſam ad Cannas Equitum Romanorum manum, Annibalis gladio, in funeſtiſſimam lanienam ſubiecit. Et profectò, vt omnia à longè experiri conſilia, omnes nôſſe bellandi modos, omnia callere ſtratagemata, Imperatorem gnarum, & (vt Homeri verbo vtar) Thimoleontem conuenit: ita nil turpiùs in Repub: dari poteſt, quàm Phormioni cuipiam Herculis Clauam dare: qui ſciat quidẽ ad focum cum Baccho & Cerere, de aggrediẽdo & conficiendo hoſte, diſertiſſimos ventoſo ore formare conceptus; ſed idem ipſe, vbi manus conferendæ ſunt, ad primum tympani ſonitũ, aut couino ſeſe includit, aut citiùs pedes fugæ, quàm manus pugnæ adaptat. Ergo ab illius hâc dexteritate bellandi Martiâ, prouincias & fines Regni ad vltimam Thulen ampliandos, Ciues ab hoſtili incurſione defendendos, augurabimur? Ecce verò Authoritatem eius non domeſtici modò contemptam habent, ſocij rident, commilitones negligunt, verùm etiã hoſtes ex opinione conceptæ malæ famæ dũ exſibilant, tot editis incolarũ cladibus, tot factis ciuitatũ ruinis, tot abactis captiuorum gregibus, impunè ad luſtra ſua ouantes reuertuntur. Quidni reuertantur, & audaciores rursùs prædabundi inuolent? cùm quæ ſit Authoritas, quàm ſiniſtra in pugnis Felicitas, cùm ſuâ, tùm alienâ cognoſcãt experientiâ. Ego certè ſic exiſtimo. Vt magnis quibuſq; Viris, ad res magnas benè gerendas, Diuinitùs adiuncta fortuna, ſumma in Imploijs peperit ornamenta; ita eum Ducem, quem mala Cunina infelicibus Myſorum vberibus ad omne infortunium Reipub: ablactauit, nullius apud hoſtem momenti eſſe. *Pro omnibus armis* (canit Silius Italicus) *vnum Annibalis ſat nomen erat*. Sat erat nomẽ Alexandri, ad cuius terrorem felicitatemq; vniuerſus ferè orbis contremuit. Neq; cùm hæc profero, reprehenſionem apud Te SPONSE Illuſtr: vt ſpero, incurram aliquam. Dùm enim me Annibalem, Alexandrum, à Virtute, Scientiâ rei militaris, Authoritate, Felicitate, commendatos Heroas, meminiſſe cogitas; inſimul Supremum Regni Poloniæ Exercituum Ducem, Dulciſſimum.

mum Parentem Tuum cogitas. An enim horum aliquid ad æternam commendationem nominis eius deeſt? vel potiùs, an non omne id, quodcunq; in Ducibus magnum aliquandò exſtitit, in illo elucet? quod nullus vnquam foris Tacitus tacebit; nullus domi Długoſſius, vel ipſo ſuo cognomine longior prolixiorq;, ſatis enarrabit. Ex eo ipſo tempore, quo è ludo literario egreſſus in caſtra venit, ceu beneficum ſydus, in ſpem ſurgentis bellici honoris, natum eum ſuſpexit Polonia. Tyronem adhuc, cum Hercule, Ioue dignum, ad reprimendas Barbarorum hydras fortiſſimâ Domo procreatum vaticinata eſt. Nec conceptum omen in ventos abijt. Quantacunq; terrarum ſpatia ſinu ſuo complectitur Iſtula, Albis, Iſter, Boryſthenes, Tanais: in omnibus his ſcientia eius bellica peruagata eſt. Quidquid regionum numeratur à Ponto Euxino, ad mare Balthicum; ab extremis Lithuaniæ finibus, ad Moſchouiæ & Suecorum vſq; Regna: ea omnia ſingularem rei militaris peritiam ſuſpexerunt. Quo in paſſu, vt res ipſa loquatur, recurrant velim Moſchouitica prælia, in quibus res Polonis erat, non tàm cum efferato & barbaro populo, quàm cum barbarie, feritate, feris ipſis. Iſtis omnibus, & in recuperando Smolenſco, quanta ſe indoles atq; fortitudo Bellicoſiſſimi Parentis Tui explicuerit, cùm æternæ memoriæ Stanislai Zolkievii fidem, cui gratiſſimus ſemper exſtitit, conſiliorum laborumq; caſtrenſium indiuulſus Achates adſtitit; tùm Sacroſanctos Sigismvndi III. Manes appello. Appello, infelicia alioquin, ſed iam æternâ obliterata Amnyſtiâ Patriæ tempora: quorum curioſa ſuſpicio, hinc Regium, indè Ciuilem animum, in diuerſas partes diſtraxerat. Partem in his eam tenuit, quæ meliori fuit peruia cauſæ. Cauſæ ei adſtitit, quæ eò, quòd bona eſſet, triumphauit. Mitto depreſſos, & è patrio ſolo depulſos cum Chano & Kantimiro latrocinantium Scytharum greges. Non commemoro ſpe deluſum ſuâ Abazium Baſſam. Taceo Eunos, Herdonios, Atheniones, Sparthacos, cæteroſq; eius farinæ gladiatores; Putiulios, Pawłukos, ſub auſpicijs eius Imperatorijs, fulmineâ Nicolai Potocii Campeſtris Exercituum Ducis dexterâ, armis exutos, è nefarijs caſtris ad raſtra ſeruilia redire coactos. Ferentur ſanè, & prædicabuntur æternùm prælia illa,

cum Gu-

cum Guſtauo Adolpho Súdermaniæ Principe, in Pruſſiâ feliciter inita, & confecta. STANISLAI KONIECPOLSKI Suprem Exercituum Regni Poloniæ Imperatoris ſunt monumenta, tro phæa, triumphi, ad Hamerſtinum, Anno 1627. April. 17. Guſtauianorum fuſæ attritæq; phalanges, Signa Equeſtria 14. Pedeſtria 13. pedibus Regijs ſubiecta: Obeſterij, Skroff, Taunel, Leitenant, Kiedryei, cæteriq; præcipui exercitûs inſtructiſſimi Colonelli, cum Aquilis ſuis, pro Comitijs publicis, Regno, laboris fideiq; Imperatoriæ indices, exhibiti. Quid commemorē Baldiſſios, cum ſuis Centurionibus, tàm virtute & campo aperto, quàm ſtratagematibus acutis, prudentiſſimè, ſine vllâ prolapſione ſuorum, profligatos? Age nunc ſuperbiſſime Kacenbach, Signum tuum explica? Leonem ſcilicet, Polonos gladio ferientem, cum Inſcriptione; *Deus Suecorum & Pomeranorum amicus, Polonorum inimicus*: Itanè Deus tibi Leo Scandicus, Hæreticus, Leo rugiens, quærēs quem deuoret? En STANISLAVS KONIECPOLSKI Pobogius, contra te, & Leonem tuum, Dei primùm, ſecundùm hunc, Patriæ honorem agit. Æquè faucibus Heri tui Pomeraniam eripit, atq; olim eripuerat Polonus, apud Matthiam Coruinum Hungariæ Regem, Leoni ad deuorandum ſe ſubmiſſo bubulam, inquiens. *Da offam canis*. Erige Ludrice Linge Labarum, & Gruem flauum, cum Lemmate, *Vigilemus*, expande. Vigilâſti, cum anteſignano tuo Sudermano, ad rapinas; non nego. Infeſtâſti vicinam, & nil eiuſmodi ſperantem Pruſſiam, quòd nihil cauſæ ad ſe infeſtandam dediſſet; concedo. Roſtrum nihilominùs tuum infame, æquè vt Kluchtini Equus recalcitrans, Budratus, Breliſerdus, Derlet, Pictir, cæteriq; Commilitones, & Capitanei, compedes, & vindices pœnas agnouerūt. Koniecpoliana hæc ſunt ad æternitatem temporum monumenta, trophæa, triumphi. Teſtes eorum, ampliſſimi in Patriâ perfuncti honores, Sandomirienſis primùm Palatini Curulis Sella, poſt, ipsâ ſic exigente Themide, Cracou: Caſtellanatus. Verùm quid hæc ego amplius illotâ (quod dicitur) manu attrectare audeam? Iſtis, iſtis ille Te, Illuſtriſſime SPONSE, Virtutum laborumq; ſuorum gradibus currere voluit ad honores Patrios. Nam cùm longè iuſtiùs, quàm olim Marius, dicere de ſe ipſo potuiſſet; *Parum*

placebat

placebat eas ediſcere literas, quæ ad virtutem nil proderant: at illa multò optima Reipub: doctus ſum, hoſtem ferire, præſidia agitare, nihil metuere, niſi turpem famam; hyemem & æſtatem iuxtà pati, humi requeſcere, eodem tempore inediam & laborem tolerare. His ego præceptis militem hortabor: hoc eſt vtile, hoc ciuile, hoc caſtrenſe imperium. Ita ætatem Tuam primulam, & ver annorum, iuxta eandem regulā & amuſſim, honeſtiſſimis literarum ſtudijs, ad Almam Academiam Cracou: inexhauſtum pietatis & eruditionis ſolidæ fontem, imbui ſolicitè procurauit. Ex quâ non lingua magis, quàm vita formaretur; non plauſibilis tantùm ad ſpeciem decor, ſed verus & publicus ſplendor quæreretur: ac exindè Patria Tuis fructibus ſuos fructus, Tuis ornamentis ſua ornamenta communicata lætaretur. Nec dum his contentus; transmiſit indolem Tuam, ad maturiores experientiæ & multiplicis prudentiæ ſatus concipiendos, in Germaniam, Belgium, Galliam, Italiam, cæteroſq; populos. Scilicet ſicut delicatæ plantulæ, ſi interdùm è natiuo transferantur ſolo, citiùs & feliciùs creſcunt: ſic ingenua Adoleſcentum ingenia cum fructu plerumq; vberrimo Patrios penates ad tempus deſerunt. Porrò, quibus exterarum gentium perluſtratio minùs cordi arridet; & quæ vicinorum remotiorumq; populorum imperij forma, quæ leges, qui bellandi modi, quæ ſanciendorum fæderum rationes, quæ vrbium ædificandarum, arcium muniendarum, obſidendarum, expugnandarum, acierum ordinandarum, caſtrorum metandorum, argumenta, cognoſcere non ſatagunt: illi cōſilio ac dexteritate agendi domi excellere, vtriſq; Patriæ temporibus commodè prudēterq; ſubuenire, nequaquàm poſſunt. Erat in Galliâ (meminit Ferrerius) vnicus Matri Filius, ita in amore eius concepto pertinaci, vt nè latum quidem vnguem peregrè domo ſuâ diſcedere eum pateretur. Multis inſtabat modis Filius, quibus ſeſe ex illis domeſticis caueis expediret. Multos ſubordinabat viros, qui ad intentum ſuum cor maternum perſuaſionibus ſolidis inflecterent. Surdo fabula. Tum ille; *De Filio, ô Mater, non facias idolum.* Senile ſanè & prudentiſſimum Adoleſcentuli dictum. Quid ita? Idoli natura eſt, vt os habeat; ſed non loquatur: vt aures habeat, ſed non audiat: vt pedes habeat;

ſed non

ſed non ambulet: vt habeat manus; ſed non palpet. Videmus, eheu! videmus, ploramuſq; à minùs circumſpectis Matribus Filios domeſticis focis incluſos: idola dixiſſe debueram, neſcio quarum pantherarum pellibus infarcinata, ſtragulata. Os patens habent, ſed in negotijs Patriæ non loquuntur. Aures habent, ad rumuſculos curioſè captandos; ad Imperatorum monitiones, inuitationes caſtrenſes, ſurdi. Vtere in acie manibus & pedibus eorum: manus quidem ibi habent, non vt pugnent, ſed vt vicinorum lares expugnent: pedes quidem habent, ſed auritos; vt vbi buccina inſonuerit, celeriores Euro fugiant. Non paſſi ſunt Prudentiſſimi Parentes Tui, ô SPONSE, vt ſimilem Gallo illi Adoleſcenti petitionem apud ſe de luſtrandis exteris nationibus inferres. Imò verò præoccupârunt laudabilia cogitata Tua: vt tametſi domeſticis, benè beateq; viuendi, abundares præceptis, eumq; iam in Patriâ tenere curſum potuiſſes, qui optimo cuiq; Ciui patuit: prudentiæ tamen maioris colligendæ, confirmandi conſilij, morum, legum, bellorum cognoſcendorum ergô, in memoratas à me regiones generoſum animum Tuum tranſmiſerunt: vt exindè quod ſalutare, quod fructuoſum Patriæ foret, tanquam in mercatu quopiam, auſpicatiſſimè conquireres. Hieronem Syracuſanorum Principem, quòd ex omnibus Maiorum ſuorum, laudatiſſimorumq; Heroum virtutibus, florem, ſummumq; decus decerpere, & quæ optima forent, ex creberrimâ delibatione, apum more, in ſuum animi mellificium, conuertere ſolitus fuiſſet; nunquam ſatis dignè encomijs celebrare poterat Pindarus, imitationi inacceſſus. Ego verò quæ merita in laudem Tuam congeram argumenta? quòd in perluſtratis feliciter tot & talibus regionibus; ex complexu, familiaritate, alloquio, acceſſione, intuitu, vſu, prudentiſſimorum Principum, fortiſſimorum Imperatorum, ordinatiſſimorum caſtrorum, arcium, acierum; animum & mentem ſolidam ipſâ illâ conformatione roborares. O Te fato benigniſſimo, & adſpirantibus omnium bonorũ votis, Poloniæ redditum! ijs præſertim temporibus, vbi prudenti Ciuium Conſilio, Heroico militum animo, opus habet. Age iam, ſpes & expectationem communem amplifica; concepta bonorum deſideria imple: Vt Aquila hæc Regni noſtri publica, dexteræ

xteræ

ateræ Tuæ masculæ à Sereniss. VLADISLAO IV. Patriæ Patre concredita agat & augeat semper rem Polonam. Sol Tibi Pater lucet, lucet Luna æmula Soli Dulcissima Mater LVBOMIRSCIA. Insidet in animo generosa Vtriusq; virtus, quæ noctes & dies animum gloriæ stimulis concitet, atq; admoneat, non cum vitæ tempore dimittendam esse commemorationem nominis, sed cum omni posteritate adæquandam. Ac LVBOMIRSCIANAE quidem Gentis amplitudinem, qui velit comprehendere, comprehendat prius, si potest, Gentilitiæ SERENIAVAE guttas. *Sreniaua*, (ait Dlugossus) *quod nullis amnibus in Poloniâ suppetit, nec Solis feruore, nec hyemali constrictione, diminuitur in alueis; sed æquo tenore retinet vndas. Solus de siccitate, & frigoris immensitate non conqueritur. Solus supernos imbres, & cælestes pluuias non requirit: sed naturali fæcunditate diues, ad æstus, & pruinæ intemperiem, non horrescit.* Lubormiscia Domus, hoc habet; vt nec ab hac vicinorum parte, quâ Sol feruet medius; nec ab eâ, quâ intenso frigore, Moschus, Suecus, Liuo, riget; nec ab his regionibus, vbi orbis Tyrannus Turca, Scythes, Valachus, Regno imminet; nec ab illis partibus, quarum insidias occumbens ad Hesperus tempus occultat, constringi possit. Siccitatem in illâ, & frigora tenacitatis sordidæ, nemo vnquàm bonorum conquestus est. Gentilitiâ Virorum fæcunditate diues, aduersùs omnes barbarici impetûs æstus, ad omnem hostilis pruinæ intemperiem, non horrescit. Neq; hic Maiores primos à longè repetam; ipsis etiam literis, antequàm in Poloniâ exordium sumpsissent suum, maiores. Compendium & Collegium virtutis & gloriæ Lubomirscianæ, STANISLAVM Palatinum & Generalem Capit: Cracou: quis laudibus dignis efferat? Ludouicum Modmorentiũ, Exercitus Gallici Ducem, Oratorum quispiam sic laudauit; *In omnibus expeditionibus fuisti victoriosus; at in Viennensi gloriosus. In alijs vocatus es Imperator: in hâc Pater, & Seruator.* Mihi sanè, STANISLAO LVBOMIRSCIO, tametsi sint plurima alia, quæ in illo iurè admirari debeam; bonâ omnium veniâ liceat, pro immortalibus in Patriam ad Chocimum collatis beneficijs, hoc dare Elogium: In omnibus expeditionibus fuit Victoriosus; at in Chocimensi Gloriosus: in hâc, Pater & Seruator.

Tanta in Te, ô SPONSE, tanta Lubomirsciæ Gentis, & cum eâ connexæ, Zebrzydouiæ, Tarnouiæ, Braniciæ, Stadniciæ, cæterarũq; Nobilissimarũ Domorũ Propaginis, laus destillat. Age iam, & auge, cum spe Patriæ præconceptâ, Mutuas Familias. Effice, vt in canâ maturitate meritorum, nec formam mutent, nec senium extimescãt. En Tibi Admeto & Vlyssi Alcestis & Penelope Tua, vitæ & amoris indiuulsa Socia, dulcè ridet. En Amicorum & bonorum omnium vota applaudunt. Annue Optime Maxime Coniugij huius Author Deus: Suauissimis Sponsis initũ Hymenæum prosperũ, ætatem longæuam lætamq; largire: & quæ prima ac maxima votorũ summa est, effice, vt Vtrosq; bonâ & pulchrâ prole Parentes beatos videamus.

DIXI.